

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Martinus Nigrinus Johann Fürborn

Disputatio De Usucaptionibus Et Usurpationibus

Rostochii: Typis Reusnerinis, 1604

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728316153>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 23. Juni 1604
Nigrino, Martino



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn728316153/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728316153/phys_0004)

DFG

4
24
ex

Disputatio De VSVCAPIONI- BVS ET VSVR- PATIONIBVS,

Quam

A. E. B. F. D. A.

*Consensu & autoritate Amplissimi J.C. ordinis, in cele-
berrima Rostochiensium Academia.*

PRÆSIDE

Clarissimo & Consultiss: Viro, DN.

MARTINO NIGRINO J. U. D.

*Publicè discutiendam & examinandam proponens pro
ingenij viribus tueri allaborabat*


IOANNES Feurhornn/
Hervord. VVestph.

Habebitur disp. in Collegio magno, 23. Jun.

T. D. 183. 8.



ROSTOCHII,
TYPIS REVSNERINIS, Anno 1604.





DISPUTATIO DE VSVCAPIONIBVS ET VSVRPATIONIBVS.

Thesis I.



Sucapio, ab usu & capione dicta, est adjectio dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti.

II.

Quod vocabulum usucaptionis, et si hic Interpp. strictam significationem habere contendunt, quasi subse usucaptionem rerum mobilium tantum complectatur, ab eorum tamen sententia merito nos recessimus, cum in usu juris indistincte rebus mobilibus & immobilibus accommodetur.

III.

Specialia usucaptionis & præscriptionis plura olim fuisse indubium est: Quæ licet hodie plane sublata nonnulli contendant; nobis tamen alia residet sententia.

IV.

Ad usucaptionem verò legitimam constitutandam tria præcipue requiruntur, videlicet personæ, res, & modus ad usucapiendum idoneus.

V.

Quoad personas ad usucaptionem legitimè perficien-

A 2

ficien-

ficiendam requisitas, sciendum est, quod sicuti omnes homines alijs usucapiendi conditionem tribuere possunt: Sic illis omnibus usucapiendi potestas, qui non reperiuntur prohibiti, competit.

V I.

Cujusmodi sunt patresfamilias: Filius famaverò bona castrensis & quasi usucapit, quod & hodie in adventitijs, licet patri ususfructus acquiratur, obtinere afferimus,

V II.

Pupillus, si tute auctore cæperit possidere, usucapit, si non tute auctore possideat & animum possidendi habeat, eum recte usucapere posse dicemus,

V III.

Infans vero, si tute auctore possidere cæpit recte usucapit, cum judicium infantis auctoritate tutoris suppleatur.

I X.

Furiosum, posteaquam usucapere cepit in furorem incidentem, ex omni causa usucaptionem adimplere utilitatis causa est relictum.

X.

Num inchoare tute auctore usucaptionem possit, discrepantes sunt etiam jurisconsultorum recentiorum opiniones? Nos negativam tanquam veriorem defendere non tergiverfamur.

X I.

Servus regulariter non usucapit, dominus tamen nisi ex causa peculiari etiam ignorans seruo possidente usu aperte potest.

Ethæc

XII.

Et hæc de personis: Materia circaquam usucatio versatur, sunt res omnes, quæ usucaptioni sunt idoneæ, sive illæ sint mobiles, sive immobiles, sive corporales, sive in corporales, modo in commercio sint hominum, vitiumq; absit.

XIII.

Sunt autem extra hominum commercium positæ, res sacræ, sanctæ, religiosæ, liber homo, quæ omnes usucaptionem non recipiunt.

XIV.

Vitiosæ sunt res furtivæ & vi possessæ, quarum nullo tempore currit usucatio: Nam furtivarum rerum lex 12. tabularum & lex Atilia inhibent usucaptionem, vi possessarum lex Iulia & Plautia.

XV.

Rebus nec minus vitiosis annumeratur servus fugitus, qui cum sui furtum faciat, non iniq; conditionem usucaptionis effugiet, ne dominis servorum fuga ex quacumq; causa sit damnosa.

XVI.

Partus ancillæ furtivæ ut usucapi possit, requiritur, ut apud bonæfidei possessorem conceptus & editus sit; apud furem autem ejusve heredes si edatur & concipiatur, furtivus manet & hac ratione usucapi non potest.

XVII.

Non idem obtinet in fætu pecudis furtivæ, quem apud quacumq; conceptum, modo editus sit apud bonæfidei possessorem, usucapi posse, astruimus.

A 3

Neq;

XVIII.

Neq; vero quod dictum est superius de furtivis vel vi possesis rebus non usucapiendis , de furibus aut ipsis raptoribus intellectum tantummodo volumus , quia hi alia ratione usucapere prohibentur, verū etiam quovis alio bonæ fidei possessore, licet vel emerit vel ex alia justa causa rem acceperit, usucapiendi tamen jus non habet, hinc pro regula concluditur,in rebus mobilibus non facile usucaptionem procedere.

XIX.

Perpetuum tamen non est furtivarum vel vi possessorum rerum usucaptionem non currere , procedit enim nisi vitium rei sit purgatum.

XX.

Purgatur autem si in prioris ac veri domini vel ejus heredis potestatem revertatur.

XXI.

Redijisse autem hoc casu ad verum dominum dicitur , quando non ignorans sibi quondam rem surreptam , tanquam suæ rei iterum sit consecutus possessionem.

XXII.

Ardua est conflictio Doctorum, an res oppignoratae à debitore surreptæ usucapi possint? Aff.

XXIII.

Insuper usucapi prohibitæ sunt res pupillares, idque adeo verum est , ut ne incepta contra defunctum (pupillaribus jam dum annis durantibus) contra pupilos currat.

Abactis

XXIV.

Ab aetatis tamen jam annis impubertatibus priora tempora cum posterioribus continuantur.

XXV.

De minorum rebus major est controversia, licet obtinuerit his tantum 30. annorum præscriptio nem opponi posse.

XXVI.

Præmissis annumerantur res dotales, quæ usucaptionum difficultatibus, nisi usucapio antequam dotalis fieret sit inchoata, non sunt expositæ.

XXVII.

Quamvis etiam adversus fiscum, postquam res fisco sunt incorporatae, usucapio non procedat, tamen bona vacantia fisco nondum nunciata recte usucapi posse, est constitutum.

XXVIII.

Prout illis rebus quæ sunt meræ facultatis nulla potest obijci præscriptio.

XXIX.

Ventulari hic non incommodè posset, quid de juribus venandi, aucupandi & alijs dicendum fuisset, cum meræ fuerint facultatis? putamus regulam superiorem cessare, quia quæ meram facultatem habuerunt prohibentis nutibus acquirere.

XXX.

Æquè hinc acriter dimicatum est inter Interpp: anne pacto retrovenditionis & juri luendi pignoris possit obijci aliqua præscriptio? Quod negamus.

De an-

XXXI.

De annuis præstationibus non minus utilis quam frequens est disceptatio, an etiam illæ præscribi possint? negativa nobis arridet, ita tamen ut hujusmodi præscriptiones, si probari possint, ad futuros annos & futuras pensiones non extendantur.

XXXII.

Effectus usucaptionis cessat in rebus eorum, qui legitimè impediuntur, quo minus agere possint, quibus annumeramus milites, reipub. causa absentes, ab hostibus captos, prodigos, furiosos & similes, qui omnes per restitutionem in integrum sunt tuti, vnde remoto impedimento præscriptio bene succedit.

XXXIII.

Hactenus derebus, jam de forma seu requisitis usucaptionum agemus; Quorum ad usucaptionem complendam duo generaliter, possessio scilicet & tempus legibus definitum, requiruntur.

XXXIV.

Possessionem autem, sine qua nulla usucapio contingere potest, oportet esse simul naturalem & civilem, vel civilem dumtaxat, sola enim naturalis ad usucapiendum sufficiens non est.

XXXV.

Circa possessionem vero illud sciendum continuam eam esse debere: dicimus continuam fuisse, sive penes eundem semper fuerit, sive legitimè ab uno ad alterum sine intermedio possessore fuerit translata.

Vt autem

XXXVI.

Vt autem hæc possessio civilis seu justa dicatur,
debet eam comitari bona fides, & justus titulus.

XXXVII.

In bona fide is est, qui bona fide ab eo, qui do-
minus non erat, cum crederet eum domiunm esse,
rem emerit, vel ex donatione, aliave justa causa acce-
perit, quæ bona fides semper præsumitur, donec
mala probetur.

XXXVIII.

Quoniam autem tempore bonam fidem interve-
nire sit necesse, controvertitur inter Dd. & nos, si ab
initio traditionis abfuerit, validam hanc reddere
(excepta tamen emptione, in qua & contractus &
traditionis tempore bona fides requiritur) arbitra-
mur.

XXXIX.

Idque adeo verum est, ut nec mala fides super-
veniens hanc irritam reddat.

XL.

In præscriptione vero longissimi & immemo-
rialis temporis, nuda possessio absque bona fide de
jure civili, non autem Canonica sufficit.

XLI.

Diutina quoque possessio, quæ prodeste cœpe-
rat defuncto, & heredi & bonorum possessori con-
tinuatur, licet ipse sciat præmium alienum esse, quod
si ille initium justum non habuit.

XLII.

E contrario heres rem à defuncto mala fide pos-
sessam, neq; ex sua persona neq; ex defuncti, etiamsi
ejus adminiculo uti non velit, & bona fide deinceps
B possideat,

possideat, præscribere potest, cum ei exordium bonæ fidei ratio non tueatur.

XLIII.

Successori vero singulari bona fides antecessoris non patrocinatur, nisi ipse bonam fidem habeat, neque mala fides nocet, si accessione temporis, quâ alias gauderet, non utatur.

XLIV.

Porro mala fides non solum lege, verum etiam judiciali denunciatione inducitur, an etiam extra judiciali denunciatione inducatur, disquisitionis est? Affirmamus.

XLV.

Hic etiam non inconvenienter quæri potest, an dubitans de re sua, ut bonæ fidei possessor præscribere possit: quod affirmamus.

XLVI.

Et hactenus de bonâ fide, quæ, cum sit ex justo titulo, de eo restat agendum: Iustum titulum appellamus justam & habilem causam ad dominium transferendum. Estque vel generalis, vel specialis. Generalis ut pro suo, Specialis ut pro emptore, pro soluto, pro donato, &c. qui omnes ad dominium transferendum sunt habiles.

XLVII.

Nihil autem interest sive is sit lucrativus, sive onerosus, sive verus, sive putativus, modò justus error interveniat.

XLVIII.

Veluti si quis rem ob id forte possideat, quod servum

servum, aut procuratorem suum ex eâ causâ , quâ dominium & possessio acquiritur, eam emisse falso existimet.

XLIX.

Vel si defunctus rem aliquam emit, heres verò putat, ipsum ex possessionis causa possedit, & sic in cæteris.

L.

Error autem falsæ causæ , ut, si quis cum non emerit, se emisse existimet, usucaptionem non parit.

LI.

Etsi autem regulariter in qualibet præscriptione titulo opus est; est tamen excepta præscriptio temporis immemorialis, in quâ sola vetustas titulum supplet.

LII.

Non levis tamen est controversiæ quæstio, an etiam ad servitutem usucapiendam titulus requiratur. Affirmativa an defendi possit videbimus.

LIII.

Nec minus scrupuli habet, num etiam suus heres pro herede usucapere possit? negativæ annimus.

LIV.

Et hucusque de primo usucaptionis requisito egimus, dicendum jam de altero: cum sola justa possessio insufficiens sit usucaptioni producendæ, nisi tempore legibus definito fuerit corroborata.

B 2

Erat

L V.

Erat autem antiquitus jure civili constitutum, ut
is, qui ex justa causa rem mobilem anno, immobilem
biennio in Italico solo usucaperet; sed hodie ut per
triennium res mobiles usucapiantur, à Iustiniano est
constitutum.

L VI.

Specialiter tamen in rebus alienis per quem-
cunque titulum à fisco abalienatis est receptum, ut si
quadriennium fuerit emensum, ne ullam actionem
quis adversus fiscum intendere possit.

L VII.

Decennio vero res immobiles inter præsentes,
inter absentes viginti annis præscribuntur.

L VIII.

Præsentes non intelligimus, ut illorum domi-
ciliū una civitate concludatur, modo uterque
habeat in eadem provincia. Et nihil interest, sive
in eodem loco, sive in vicinia, vel longiori spacio res
sint separatae.

L IX.

Præscriptione longissimi temporis, hoc est, 30.
vel 40. annorum spacio, omnes actiones personales
& reales exspirant: excipimus quasdam, quibus mi-
nora tempora sunt præfixa.

L X.

Hoc loco non inconvenienter occurrit: Num
hereditati 30 annorum spacio præscribatur? Quod
affirma.

L XI.

Denique est etiam præscriptio centenaria seu
imme-

immemorialis, sic dicta, quod memoriam hominis
excedat, quæ pro redēptione captivorum sunt
derelicta vel donata, præscribuntur.

LXII.

Ita tamen tempus usucaptioni requisitum com-
putatur, ut, si minimo momento novissimi diei sit
res possessa, totus dies ad explendum tempus con-
stitutum non exigatur.

LXIII.

Et tantum de tempore. Finis usucaptionum,
est bonum publicum, ne scilicet quarundam rerum
diu, & ferè semper incerta essent dominia, litium dif-
ficultatibus modus imponeretur, & tandem posses-
sores rerum amittendarum timore exuerentur.

LXIV.

Quamvis vero usucapio naturali æquitati non-
nullis visa fuit repugnare, nobis tamen, omni juri
esse consentaneam, intrepidè stat sententia.

LXV.

Quod ad effectum usucaptionis attinet, per eam
acquiritur dominium & quidem plenum & perfe-
ctum.

LXVI.

Ex quo actio & exceptio usucipienti non tan-
tum completa, verum etiam nondum completa
usucapione, competit.

LXVII.

Completa usucapione, usucaptor, si rei posses-
sionem amiserit, ad illius recuperationem, contra
quemcumque rei possessorem vindicationem, ante
usucipationem verò completam actionem Publicia-
nam instituere potest.

B 3

Exceptio-

LXVIII.

Exceptione usucaptor utitur, si alius contra ipsum actionem instituat.

LXIX.

Tandem qui sic secundum humanæ & civilis legis præscriptum, usucaperit, etiamsi alienum resciverit, tamen in foro conscientiæ eam retinere potest.

LXX.

Et tantum de usucaptionis substantialibus & accidentalibus requisitis. Restat ut de usucaptionis interruptione dicamus: Èa enim interveniente usucaptionis cursus impeditur.

LXXI.

Quæ vel est naturalis vel civilis. Naturalis est, cum vel facto naturæ usucapio impeditur, ut si res ante completam usucaptionem à flumine vel mari fuerit occupata.

LXXII.

Vel facto hòminis, idq; partim ratione usucatoris, si in locum, quem usucapere ceperit mortuum intulerit, vel possessionem rei sponte à se dimiserit.

LXXIII.

Partim ratione alterius; cum quis de possessione vi ejicitur, aut alicui res mobilis eripitur.

LXXIV.

Quà ejectione interveniente, etiamsi de possessione dejectus, deinde eo tempore rursum apprehendat, quo scit rem esse alienam, usucapere non potest,
nisi

nisi tempus à secunda possessione numeret, & initio
bona fide, & titulo nanciscatur.

LXXV.

Civiliter interrumptur usucapio, lite possessori
de proprietate aut possessione rei motâ.

LXXVI.

Hodie tamen non tantum litis contestatione,
sed etiam in jus vocatione, vel aliâ extra judiciali de-
nunciatione testatò factâ interrumptur.

LXXVII.

Hinc resultat quæstio utilis & elegans, si quis à
judice competente citatus compareat, actor verò
emaneat, an emansio actoris citationem inutilem
reddat, ut per eam præscriptio non interrumpatur?
inutilem reddere putamus



Corollaria

I.

An ille, qui à furioso, quem sana mentis putabat,
rem emerit, usucapere posset? de rigore juris Nega.

II.

An ignorans, contra quem præscriptum, ex justa
causa ignorantia, restitutionem in integrum habeat?
Negamus.

An duo

III.

*An duo ejusdem rei simul possessores & domini
esse possint, Neg:*

IV.

*An directum vel utile dominum usucapione ac-
quiratur, Neutrum nobis juris textibus consideratis
putamus.*

V.

*An feuda etiam longissima prescriptione ac-
quirantur, ac num ea quoq; bona fides requiratur.
Affirm.*

VI.

*Fus revocandi feudum, quod competit agnato,
quantum temporis duret alienatore mortuo, quar-
itur? Respond. 30. annos.*

VII.

*Num usucapiones sint quoq; de illo genere, de
quibus dicitur, in jure multa sunt honesta: ut licita,
qua tamen non sunt honesta: ut sunt usur&, pralatio
cognitorum in bonis conjugis defuncti, separa-
tio liberorum à successione parentum
per legitimam, videbimus.*





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn728316153/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728316153/phys_0023)

DFG

nisi tempus à secunda possessione nulla bona fide, & titulo nanciscatur.

LXXV.

Civiliter interrupitur usucatio de proprietate aut possessione rei mortis.

LXXVI.

Hodie tamen non tantum litis causa sed etiam in jus vocatione, vel aliâ ex nunciatione testatò factâ interrupitur.

LXXVII.

Hinc resultat quæstio utilis & electio judice competente citatus compareatur, an emansio actoris citatio reddat, ut per eam præscriptio non inutilem reddere putamus.



Corollaria

I.

An ille, qui à furioso, quem sanè memorem emerit, usucapere possit? de rigore.

II.

An ignorans, contra quem præscriptione causa ignorantiae, restitutionem in nitegit Negamus.

